

Bibliothèque numérique

medic@

**Cezerac, Jean-Marie - candidat /
Botentuit Langlois, Pierre-Mathurin -
président. - De luxatione humeri**

1778.

***Paris : Parisiis, typis Michaelis
Lambert, Regii Chirurgiae
Collegii necnon Academiae
Typographi, viâ Cithareâ
Cote : ms 2344, n°36***



D E


LUXATIONE HUMERI.

 T H E S E S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

LUXATIO dicitur extremi ossis mobilis ex cavo, in quo movetur, dimotio. Cum autem os Humeri sinu *Glenoideo* Scapulæ facillimè ejiciatur, de hâc potissimùm *Luxatione*, utpotè frequentiori, partibus antea itè per Anatomiam exhibitis, differendum suscepimus.

E X A N A T O M I A.

Scapulæ cavitati inseritur Humeri Caput. Hujus articuli ut
A



adæquata cognitio habeatur, considerata veniunt non ossa tantum, sed ligamenta, cartilagine & muscoli.

Scapula, os latum, facie anteriori & concavâ, posteriori & convexâ donatur. Triplici margine gaudet, undè tres exurgunt anguli quorum anterior superior præcipuè observandus. Cæteris multò crassior est. Ipsi apex ità deprimitur ut in sinum *Ellypsoidem* desinat, cujus basis inferiùs vergit. Sinus ille cartilagine obducitur, & versùs oras substantiâ fibrosâ, ab *expansione Bicipitis* musculi tendinis oriundâ, ampliatur. Infra in colli modum coarctatur. Ex ipsius parte superiori nascitur processus *Coracoïdes* versùs basim crassior, dein exilis, diversè incurvatus, & in extremitate depressus.

Ex facie convexâ Scapulæ & ipsius basi oritur *Spina*, quæ gradatim ascendens ad angulum anteriorem vergit & in eminentiam, *Acromion* dictam, definit. Hæc internè & externè deprimitur, undè duo nascuntur margines, inferior asper, superior levigatus concavusque ut humeralem Claviculæ extremitatem recipiat. Vicinis utriusque horum processuum limbis adhæret triangulare ligamentum quo completur indè efformata fornix.

Humerus, os longum, in corpus & extrema dividitur. *Superiùs* in tres processus eminet, scilicet duas *Tuberositates* & Caput. Ex *Tuberositatibus* altera major & exterior triplici *facieculâ*, altera minor & anterior unicâ tantum gaudet. Inter utramqueprehenditur *sinuositas Bicipitalis* cujus margines ab ipsis *Tuberositatibus* paulatim decrefcentibus producuntur. Humeri Caput tertiam spheræ partem adæquat. Cartilagine obtegitur in medio crassiori, versùs margines tenuiori; fulcitur collo brevi quod obliquè ad interna & posteriora tendit ut cavitati *Glenoideæ* quæ *exteriùs* & *anterioriùs* vergit, respondeat.

Circumdatur hæc articulatio ligamento capsulari quod ossis utriusque Caput latissimè ambit: inseritur hinc infra marginem

cavitatis *Glenoïdea*, indè Humeri collo, ità ut hujus Capitì propiùs adhæreat versùs anteriora, majorem verò colli partem posteriùs amplectatur, & inferiùs descendat: *Tuberum* intervallo non adhæret, sed ulteriùs pergit, & *sinuositatem Bicipitalem* in canalis integri speciem complet. Firmatur hoc exile ligamentum fasciâ *Upfiloïdi* cujus capita cavitatis *Glenoïdea* superiori margini & processûs *Coracoïdes* radici, extremitas verò magnæ *Tuberositati* alligantur. Maximam autem vim mutuatur ex quatuor tendinibus qui capsulæ fibris brevissimis inseruntur, & ipsi tenaciter adhærent: Musculi enim *Infrà* & *Suprà-spinatus*, *Teres minor*, *Subscapularis* & *Bicipitis* longius *Cornu* ità undequaque Caput Humeri amplexantur, ut ipsius *Luxationi* superiùs, internè & externè obstant, sicque validissimi ligamenti vices gerant. Insuper processus *Coracoïdes*, *Acromion* & *Clavicula*, quâdam veluti concameratione super articulum suspensâ, novum huic addunt robur.

De musculis autem quibus circumdatur, eorumque usu vario, ne longiùs nostrum hoc Programma progrediatur, hîc filemus, ipsorum Anatomicam expositionem vivâ voce disceptaturi.

E X C H I R U R G I A.

Ex dictis patet ità comparatam à Naturâ fuisse Humeri cum Scapulâ connexionem ut illasâ, quoad fieri posset, partium firmitate, liberrimè tamen os in sinu suo moveretur. Humerus enim non modò tollitur, deprimitur, adducitur & abducitur, sed etiam rotatur secundùm axim, & in fundæ modum circumagitur Brachium. At omnes hos motus exequi non possumus quin Caput Humeri è sinu suo ferè omninò exeat, quibusdam tantùm cavitatis *Glenoïdea* punctis respondens, ac proindè in *Luxationem* maximè sit præceptus. Aliundè vix sextam Capitis partem recipit

A ij

articuli cavitas, quæ partim tendinosa, partim ligamentosa, resistentiæ minùs apta videtur. Insuper si ligamentorum laxitas consideretur, si attendatur, primo quoque imminente casu, Brachium esse præsens veluti fulcimentum quo pondera tolluntur, ictus impinguntur, vires vincuntur oppositæ, corpus in lapsum pendens sustinetur, faciliè liquebit quàm frequens *Luxationi* præbeatur ansa.

Dividitur *Humeri Luxatio* in simplicem, compositam & complicatam : in completam aut incompletam ; in recentem aut vererem. Anterior etiam aut posterior, inferior aut superior dicitur : hæc fieri non potest quin frangatur *Acromion* : distinguitur tandem eo quòd altera repentino impetu, altera verò sensim sine sensu accidat.

Internæ & externæ annumerantur causæ. Illas inter recensentur musculorum paralyfis, ligamentorum relaxatio (1), convulsio vel subita vel continua, *Synoviae* exuberantis copia aut inspissatæ concretio (2), Capitis *Humeri* per *Rachitidem* tumefactio & imminutio sinûs ; aliæ sunt etiam internæ causæ quæ sin os per se expellant, ad futuram tamen *Luxationem* disponunt, ut, v. g. contusio articuli quam sequitur puris aut mucilaginis (3) congeries, quibusque debilitantur partes & ligamenta relaxantur.

(1) *Luxationi* ab hac causâ plurimùm faver pondus ipsum membri, nam successiva requiritur musculorum & ligamentorum actio, quarum alterutrâ deficiente altera brevi deficit. Vid. *Celeber. Petit, Traité des maladies des os*, Tom. I, pag. 20.

(2) Apud Skenkium reperitur Observ. *Humeri* multotiès luxati à *Synoviae* concretionem. pag. 633, Obs. 5

(3) Vid. *Celeb. Petit, act. Acad. Reg. Scient. ann. 1722.*

Pro externis habentur causis ictus , percussio , lapsus , extensio ,
 nisus , distorsio vehemens , ac demùm violentior omnis
 motus. Ut autem suum illæ effectum fortiantur causæ , necesse
 est rectum cum corpore angulum ab Humero describi ; & quò
 altiùs hic tollitur , eò faciliùs excidit , quia muscoli quibus antea
 in suâ sede retinebatur , ad Luxationem tunc conferunt , &
 margini tantùm cavitatis innititur : aliter vi maximâ frangeretur
 potiùs os quàm luxaretur.

Ubi primùm è suo cavo delapsus est Humerus , varia exurgunt
Symptomata. Enim verò dimoti ossis capite partes subjacentes præ-
 muntur , contunduntur : musculorum fibræ elongantur , divelluntur ,
 lacerantur : Tendinum mutantur directiones , rumpuntur aut ultrà
tonum extenduntur ligamenta : *Periosteum* super articuli capsulam
 ab Humero ad Scapulam protensum mirum in modum distrahitur ,
 comprimuntur nervi , vasa ingurgitantur , & varii in Textum
 cellularem effunduntur liquores. Hinc dolor , tumefactio , torpor ,
 motûs abolitio , Echymosis , Œdema , Inflammatio , Febris , Per-
 vigilium , Convulsio.

Porro autem his omnibus licet attentè perpenſis nondùm etiam
 clara morbi *Diagnosis* haberetur , nisi certiora adhuc signa
Luxationem expromerent : scilicet cavitas infrà *Acromion* ,
 & eminens in alienâ sede Humeri Caput. Quibus accedunt
 & alia quorum ope vel confirmatur *Diagnosis* vel *Luxationis*
 species distinguitur , ut elongatio aut decurtatio membri ,
 depravata conformatio , propensio Cubiti hùc aut illuc vergentis ,
 variorumque musculorum læsa vel illæsa functio.

In macilentis tumor cavitasque facilè deprehenduntur , in
 obesis verò difficiliùs. Sed tùm etiam dubium omne tollitur ,
 si Pollex , sublato paululùm Brachio , infrà *Acromion* validè

imprimatur, & eâdem elevatione continuatâ, remissis hinc indè musculis, Caput ossis investigetur. Cætera aliundè prædicta signa cautiùs in eo casu interroganda sunt.

Ambigi poterit utrum os Luxatum fractumvè fuerit in articulo. Quod quidem in corporibus obesis, ubi mirum in modum pars tumet, in dubio positum non semel vidimus. Tùm verò fractura crepitatione, tumoris cavitatisque absentiâ, æquali musculorum tensione, dolore, in hoc vel in illo motu, nec majori nec minori, Cubiti situ non multùm immutato à *Luxatione* distinguitur.

Differt etiam Humeri & Claviculæ Luxatio (1) eo quòd in hâc cavitas quidem appareat, sed nullibi tumor reperiatur.

Tandem attentè videndum an præcedens morbus quovis alio tumore præceps fallere possit judicium, ac pariter num antiqua & non reducta *Luxatio* recenti causæ referatur : quodquidem longè variam *Prognosis* afferret.

Quæcumque sit *Luxationis* de quâ agimus species, rarè admodùm per se ipsa periculosa judicari debet : & si quandò aliquid grave minuitur, accidentibus illud referendum. Ut ut sit, instituitur *Prognosis* à complicatione, causis, tempore, adhæsiōe Capitis luxati, ossis à suo sinu distantia majori vel minori, loco quem occupat, ægri habitu, variis demùm accidentibus. Ac proindè in juvene sano simplex recensque *Luxatio*, à causâ externâ, ubi Caput Humeri parùm dimovetur, felix præfagietur : contrà verò, si sit inveterata, complicata, à causâ internâ, si partibus ambientibus concreverit Humerus, si altiùs seu in axillæ cavum, seu anteriùs protru-

(1) Hujus erroris penè víctima fuit Galenus ipse. Vide ejus comm. in Libr. Hipp. de Artic. Charter. *Tom. XII, pag. 319.*

sum Caput ibi veluti incarceretur , periculosa judicabitur *Luxatio*.

Ex his omnibus prævidetur an longa , an facilis , an integra , an deficiens curatio futura sit. Humero enim reposito perdurant aliquandò accidentia , quæ vitari neutiquam potuerunt , eodemque non reducto , ita quandoque sedantur primaria symptomata , ut æger ad varios motus exercendos prævaleat. (1)

Antequàm tentetur Humeri luxati repositio , *Contra-indicationes* , si quæ sint , studiosè perpendendæ. Si verbi gratiâ vetus sit *Luxatio* , non priùs aggredienda reductio , quàm emollientibus *illegitima* partium cohæsiō fuerit deglutinata ; si antiquissima , acetabulum Scapulæ temporis lapsu evanuit , aut *synovia* concretionē repletur , conferbuit caput vicinis partibus , novumve sibi fecit veluti articulum (2) , & utroque casu reductio fieri non poterit.

Si à convulsione oriatur *Luxatio* , si maxima adsit contusio , tensiove inflammatoria , procrastinandum erit usque dum irritatio fibrarum aut inflammatio remiserit. Ultimo quidem casu timendum ne partes inflammatae cohæreant , reductionique deindè prorsus obstent ; sed præstat *irreductum* remanere Humerum , quàm partes jam inflammatas , maximo ægri periculo , convelli.

Si *Luxationem* fractura comitetur , vel etiam ubi hæc minimùm ab articulo distat , semper nihilo minùs (3) tentanda *Luxati*

(1) *Vid.* Observ. celeb. Moreau , in Actis Acad. Reg. Chir. T. II , pag. 155 & seq.

(2) *Vid.* id. *ibid.*

(3) Felices propositæ Methodi successus bis experientiâ comprobavit hujus Actûs præses anno proximè elapso , adstantibus celeb. *Deleurye & Dumont* , peritissimis Arte Magistris.

Humeri reductio. Tunc enim nullo aut propè nullo resistente musculo , primo instanti facilior erit : ubi autem Cubito propior est fractura , licèt citò citiùs sempèr tentanda sit operatio , tamen non idem est in morâ periculum.

His omnibus ritè & sedulò perpensis , si nihil repositioni repugnet , quàm primùm celebranda est ; quod ut perfectè fiat , circà corporis & Humeri situm , vires admovendas , & modum faciendi plurima observanda veniunt.

Ac primò quidem in humiliore sedili collocetur æger , ità ut nec pedibus nec altero Brachio innixus , vires ex puncto quodam fixo mutuetur , quo musculorum contractio- ni addat ; hæc enim contractio repositioni obstat , & eò difficiliùs ipsorum vis extensione vincitur , quò fortiùs , immi- nente dolore , motu veluti *Automatico* , Brachium retrahit æger.

Rectum cum corpore angulum describat Humerus : in hoc enim situ nulli distrahuntur muscoli , faciliùsque extensionem patiuntur.

Vires adhibentur ut firmetur corpus , & Brachium extenda- ur. Ad corpus retinendum summum operæ pretium erit ut puncto quodam fixo innitatur , ne modò vincat , modò vincatur vis ex- tendens , & perpetuâ nutatione hùc illùc corpus abripiatur. Com- modissimè autem retinetur linteo vel mantili per medium per- forato , nodoque ad tignum versùs extrema alligato. Bra- chium per foramen transit & sic corpus simul & Scapula fir- mantur , ne & ipsa extensione , utpotè musculis tantùm con- nexa , abripiatur (1). Attendendum tamen ne in Mulieribus comprimantur mammæ , & in utroque sexu ne parte inferiore linteï contundantur ac veluti strangulentur musculus *Peëtoralis* & *Latissimus Dorsi*.

(1) Vid. *Celeber. Petit , Traité des maladies des Os.*

Circà extensionem multa paritèr observanda. Viribus oppositis æqualis esse debet, quod, in nostrâ methodo, facillè obtinet. Levis primò, dein major, sensim ac sensim per gradus crescat & augeatur, ut paulatim cedant, non verò rumpantur fibræ : non aliundè nocebit, si partes subindè remittantur, ne *tonum* naturalem tensione non interruptâ prorsus amittant.

Manibus solis potius quàm machinamentis fiat : plus enim valet industria quàm violentia : instrumentorum autem cæca est actio, & eò incertior operationis successus quod solertia Operanti necessaria mediis ipsis transfertur. Aliundè *Luxationum* curatio pendet à variis motibus successivè adhibendis quos præstare neuriquam posset machina unicâ tantum directione gaudens, & huc illuc, prout res postulat, flecti indocilis. (1)

Si laquei tamen admovendi sunt, cautiones (2) debitæ adhibeantur. Sursùm, quantum fieri potest, retrahenda cutis, ne vi extensionis distrahatur ac dilaceretur textus cellularis quo musculis adhæret, undè nasceretur dolor gravis reductionem Humeri impediens. Videatur attentè in corporibus obesis ne ob pinguedinem nimiam solvatur & elabatur laqueus : tandem cum celeberrimo *Petit* (3) ossi luxato immediatè applicandas esse vires censemus, ne, laqueis inferiùs insertis, eorum vis maxima in Humeri articulo inferiori deperdatur & evanescat.

Ubi verò prosperè successit alia laqueorum positio, felices illi successus quibusdam novæ methodi commodis tribuendi potius videntur, tunc enim per gradus admotæ fuerunt vires & sensim sine sensu adauctæ : in eâ methodo apprimè studebat

(1) Vid. Dissertationem superiùs laudato operi à celeberr. *Louis* præmissam.

(2) Vid. ibid. *Traité des maladies des Os*, pag. 45, 118 & alibi.

(3) Vid. ibid., p. 42.

peritus arte Magister (1), ut contractionem musculorum spontaneam vitaret, ac proindè relaxationis instans præcisè occuparet : quod quidem, manus solas operationi adhibendo, levèssimè tantùm extensiones exercendo, facillè consequabatur. Tùm nullo dolorum apparatu territus æger nec retrahebat musculos, nec proindè operationi obstabat.

His omnibus ritè peractis, ministrisque hinc & indè dispositis, jubetur extensio, primò levis, dein fortior, ac demùm resistentiæ accommodatur. Quantumvis enim industriæ & solertiæ tribuerimus, vires tamen & quidem non exiguas aliquandò adhibendas esse fatemur. Brachium initio elevatum per gradus deprimatur. Sive anteriùs, sive posteriùs deflexerit Humeri Caput, priùs ad axillæ cavum revocetur, quàm tentetur reductio : os enim eadem quâ excessit viâ, licèt longiore, semper reducendum. Priori casu Brachium posteriùs trahitur & ad axillæ cavum reducitur, eadem elevatione continuatâ; posteriori contrarium obtinet. Dein os in suam sedem protruditur; aut potiùs uno fermè momento utrumque fit; ubi enim satis extensum fuit Brachium, ipsâ vi musculorum sæpè sæpiùs reducitur *Luxatio*, nec ullâ protrusione opus est. Signum autem extensiones sufficere certum habetur nullum, nisi mobilitas ossis & illud in suam sedem reducendi facilitas. Nec ad id vis maxima quandoquæ, sed potiùs justa virium directio requiritur; modò enim hic, modò ille musculus, mutata positione partis, relaxandus : & sic *Luxatio* quæ insana bilis pronuntiata fuerat, facili negotio curatur : ad hos autem motus exercendos docetur Chirurgus & situ doloris, & fibrarum intumescentiâ, at præsertim longo ejusmodi morborum curandorum usu.

(1) Célèbre. Dupouy

(. . .)

Quod verò ad Operantis officium attinet, ponè Brachium ægri positus, extremos utriusque manûs digitos in axillæ cavum immittit, pollicibus suprà *Deltoidem* decussatis, ità vires reducentes dirigit, ut Caput ossis ab axillâ removeat & ad Scapulæ acetabulum revocet. Quod exequitur Capite Humeri ope digitorum ad se adducto, inferiore vero ejus ossis parte ad pectus ægri parum depressâ. Præsertim autem caveat ne os versùs sinum naturalem propellat antequam sufficiente extensione remotum fuerit, & acetabulo directè respondeat : sic enim aut aliùs in axillæ cavum protruderet ossis Caput, aut capsulam inverteret, aut contunderet marginem osseam.

Reductæ *Luxationis* signa haud dubia sunt. Revertentis in suam sedem ossis explodens sonitus persæpè auditur. Statim cessat, aut saltem quàm plurimùm imminuitur dolor, suus membro situs, sua figura, conformatio, motus, actio deniquè ferè in integrum restituuntur : contraria contrarium docent.

Osse in suam sedem reposito, non ideò simul suum ligamentis redit robur : capsulæque laxatâ, facilè os iterùm dilaberetur, nisi situ idoneo & aptâ contineretur deligatione, usquedùm naturalis partium *tonus* redierit. Hæc autem deligatio celebratur *splenis* longioribus, Humeri Caput ambientibus, & suprà articulum decussatis, & *fasciatione* quæ vulgò *spica ascendens* audit. Prout res postulat, adhibentur emollientia, resolventia, adstringentia, seu corroborantia. Deligationis tempus *Luxationis* causâ & specie ægrique habitu æstimatur. Accidentia, si quæ sint, diætam sanguinisque missiones indicant. Quies primò jubetur ; membrum tamen leviter subindè movendum, ne immineat contractura : motus deindè majores exerceantur.

HAS THESES, DEO JUVANTE, & Praside M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT-LANGLOIS, Artium & Chirurgia Magistro, in utroque Jure-LicentiatO, necnon Schola-practica nuper Professore, tueri conabitur JOANNES-MARIA CEZERAC, Lectoracensis, Artium in Nanceianâ Universitate Magister.

Die Sabbati 29^a Mensis Augusti, anno reparate Salutis 1773, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

**IN REGIIS
PARISIENSIIUM CHIRURGORUM
SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.**

Parisiis, typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.